

PRAEFATIO

Ut facilius intellegatur, qua de re agatur :

Res in hoc dramate narrata anno 384 p. Chr. n. acta sunt, cum imperium Romanum iam diu Christianum erat. Paganis licebat deos suos colere, sed imperatores erant Christiani. Roma urbs iam non nisi nomine caput imperii erat : Sedes imperatorum, qui bini seu terni simul imperabant, erant Augusta Treverorum, Mediolanum, Constantinopolis. Imperium ergo divisum erat in partes duas vel tres: occidentalem (cui imperabat imperator Treverensis), orientalem (imperatoris Constantinopolitani) et interdum mediam (imperatoris Mediolanensis). Imperium enim amplius erat, quam ut una urbe regeretur.

Tamen Roma adhuc erat sedes senatus, qui autem iam nullam vim in imperio habebat: Iam omnia decernebantur ab imperatoribus et eis, qui in aulis eorum summis honoribus fungebantur. Senatus solum memoriam temporis veteris colebat. Unus ex clarissimis senatoribus erat Q. Aurelius Symmachus, cui maxime cordi erat mores veteres necnon cultum deorum antiquorum servare.

In dramate hoc de ara deae Victoriae agitur, quae in curia senatus posita erat, quamquam pars senatorum illo tempore iam Christiani erant. Ara ea iam varios casus passa erat :

Anno 357 p. Chr. n. Constantius II. imperator Romam visitavit ; ea occasione ara Victoriae ex curia sublata est, nam imperio Christiano non aptum censebatur aram paganam in curia esse. Sed paucis annis post Iulianus imperator paganus (361-363), qui Apostata dicebatur, aram restitui iussit.

Anno 375 Valentiniano I. imperatori mortuo Gratianus (16 annos natus) et Valentinianus II. (4 annos natulus) filii successerunt. Gratianus sedem habebat Augustae Treverorum, Valentinianus II. Mediolani ; tertius imperator (Constantinopolitanus) erat Valens frater Valentiniani I., id est patruus novorum imperatorum. Potuit ergo eis consilia dare, ut suas partes imperii regerent. Sed eheu, tribus annis post etiam Valens mortuus est. Successit ei Theodosius I, qui, ut Valens ante, pueris collegis consilia dabat.

Anno 383 Gratianus imperator (tunc XXIV annos natus) aram Victoriae iterum tolli iussit, quod senatoribus paganis magnum nefas videbatur. Itaque Symmacho duce legationem in urbem Augustam Treverorum ad Gratianum miserunt, quae peteret, ut ara restitueretur. Legati autem nihil impetraverunt, immo eis ne loqui quidem cum imperatore licuit.

Eodem anno Gratianus a Maximo usurpatore necatus est, qui se novum imperatorem Treverensem fecit. Proximo anno Symmachus iterum conatus est restitutionem arae impetrare: Namine senatus epistulam (quae appellatur "relatio") ad Valentinianum II. imperatorem Mediolanensem scripsit, quae

petivit, ut ara resitueretur necnon ut sacerdotibus paganis et virginibus Vestalibus privilegia quaedam a Gratiano negata redderentur.

Valentinianus tunc XII annos natus erat; tamen omnia ad suam partem imperii pertinentia ipse decernere debebat, quod tam parvo puero certe non facile erat. In aula eius complures homines inter se pugnabant, quorum quisque canabatur voluntatem imperatorem imperiti regere; inter eos erant Sanctus Ambrosius episcopus Mediolanensis, Iustina mater imperatoris (quae Ariana erat) et alii.

Cum Ambrosius audiret Symmachum aram Victoriae reposcere, nequaquam tacere poterat: Statim acrem epistulam (ep. XVII) ad imperatorem scripsit, qua eum severissime monuit, ne aram restitui permetteret. Paulo post, cum ei occasio fuisset epistulam Symmachi legendi, alteram epistulam ad imperatorem scripsit (ep. XVIII), qua singulis argumentis Symmachi respondit.

Eae tres epistulae (Symmachi Relatio III., Ambrosii epp. XVII. et XVIII.) in seminario LVPAno Cracoviensi in schola mea tractatae sunt. In dramate autem Ambrosium et Symmachum ipsos cum imperatore loquentes induxi, quia parum vividum videbatur epistulas in scaena recitari. Sanctus Augustinus, qui dramati insertus est, re vera anno 384 p. Chr. n. Roma Mediolanum venit, ut ibi in nova schola a Valentiniano imperatore artem rhetoricam doceret. Munus id ei Symmacho commendante datum est. Augustinus tunc nondum Christianus erat, sed nomine adhuc Manichaeus. Tamen iam valde de doctrina Manichaeorum dubitabat, et postquam Mediolanum venit, missas Sancti Ambrosii episcopi frequentare coepit, quae eum denique ad fidem Christianam perduxerunt. Etiam huius rei in dramate mentionem feci, ut videbis...

DE ARA VICTORIAE SIVE DE IMPENETRABILIBUS VIIS DOMINI

Dramatis personae:

Nomenclator	Olivius John
Valentinianus II. imperator XII annos natus	Monica Wesolowska
Iustina mater Valentiniani	Alexandra Waclawczyk
Celerius scriba	Martinus Schünemann
Ambrosius episcopus	Ewelina Krawczyk
Bauto magister militum	Thomas Krezel
Symmachus praefectus Romae	Alina Lencznerowicz
Augustinus rhetor	Caecilia Koch
Roma urbs	Natalia Jureczko
Umbra Gratiani imperatoris	Anna Maciejewska

Intrat N.

N. Favete linguis! Intrabit imperator Romanus, Valentinianus Augustus, Valentiniani defuncti imperatoris filius, Gratiani nuper defuncti imperatoris frater, cum matre Iustina Augusta.

Intrant V. et I. Exit N.

V. Aderisne, mater, cum Symmachus mecum loquetur?

I. Certe.

V. Gaudeo. Nam paululum timeo hoc colloquium.

I. Quare?

V. Symmachus vir tam clarus est! Senator et praefectus urbi Romae est, et tam nobili genere natus...

I. Et tu?

V. Ego nihil nisi puer parvus sum.

I. Tu, Valentiniane, es imperator imperii Romani, Caesar Augustus potentissimus.

V. Ambrosius me nuper appellavit "Augustulum".

I. Ambrosius magister tuus est; ei licet talia dicere. Symmacho autem, nisi tibi summam reverentiam exhibuerit, nihil de ara illa Victoriae concedes. Audisne, mi fili?

V. Audio, mater.

Intrat N.

N. Novus scriba adest, domine.

V. Intret.

Intrat C. Exit N.

C. Salve, imperator Caesar Auguste, et tu, Augusta.

I. Salve, scriba. Qui vocaris?

C. Celerius.

I. Celerius me loqui vis? Hoc tibi nimis lentum fuit? Bene: Statim dic mihi nomen tuum, quam celerrime audire volo, nam mihi nulla patientia est...

C. Ignosce, Augusta, quod parum perspicue tibi respondi. Nomen meum est Celerius - Decimus Magnus Voconianus Arnutius Aurelius Gaudentius Antoninus Flavianus Siconius Celerius.

I. Bene. Occupa mensam tuam, Celeri - celeriter!

Intrat N.

N. Ambrosius episcopus adest, domine.

V. Intret.

Intrat A. Exit N.

A. Salve, Caesar Auguste.

V. Salve, magister.

A. Salve, Augusta.

I. Salve, episcope.

V. Ambrosi, hodie pensum domesticum omisi.

A. Qua de causa?

V. Necesse erat cum matre colloquium cum Symmacho habendum praeparare.

A. Bene. Haec est res maior et gravior quam pensum domesticum. Hodie ergo excusaberis. Symmachus nondum adest?

I. Nondum, sed mox veniet.

A. Gaudeo, quod mihi sic occasio imperatorem nostrum praemonendi datur. Audi, Valentiniane: si tu, imperator Christianus, in senatu imperii tui aram Victoriae esse permittes, summum sacrilegium erit. Scis ergo, quid Symmacho respondere oporteat.

V. Sed mater vult me ei aram concedere, si mihi reverentiam exhibuerit.

A. Quid??!

I. Non suasi, ut aram concederes reverentia exhibita, sed ut negares reverentia non exhibita. Diligentius auscultandum erat, mi fili!

A. Haec certe longe alia res est.

V. Sed nonne nuper, cum me logicam docebas, dixisti duas negationes facere affirmationem? Si ergo reverentia non exhibita aram non concedam...

A. De logica cras cogita, cum te docere pergam. Hodie tibi non discendum est, sed agendum.

V. Sine logica?

A. Hodie sine logica.

Intrat N.

N. Domine, Bauto magister militum orat, ut sibi liceat tecum loqui.

I. Occupati sumus.

A. Auscultemus eum! Cum tam inexpectatus veniat - et ipse veniat, non nuntium mittat -, certe magnum aliquid habet, quod nobis dicat.

V. incertus matrem et Ambrosium spectat.

I. Age, Valentiniane! Dic aliquid!

V. Intret.

I. vultu monstrat se hoc moleste ferre. N. haesitat.

I. Audivisti iussum imperatoris. Quid haesitas? Advoca Bautonem!

Intrat B. Exit N.

B. Imperator Auguste, nuntium laetissimum tibi affero. Hostes, quamquam innumerabiles erant, victi et in fugam deiecti sunt. Imperium a periculo, quod tam diu et tam graviter imminebat totumque populum timore maximo implebat, tutum et liberatum est. Plus nonaginta milia hominum interfecimus.

A. Deo gratias!

I. Dixi tibi, Valentiniane, te imperatorem potentissimum esse. Nullus hostis legionibus tuis resistere potest.

V. Me?

A. Quid nuntius huius victoriae nos docet?

V. Bautonem bonum ducem esse?

A. Etiam hoc, sed non solum hoc. Quid aliud?

V. Me imperatorem potentissimum esse?

A. Etiam hoc, sed et aliam rem. Memento te esse imperatorem Christianum!

V. Deum imperio nostro favere?

A. Nunc bene respondisti. Cum autem Deus tibi tantam victoriam praebuerit, nonne oportet te ei gratiam referre?

V. Oportet.

A. Quomodo putas te hoc optime facere posse?

V. Novo monasterio condendo? Basilica aedificanda?

A. Haud mala consilia. Sed optima occasio tibi nunc erit, cum Symmachus veniet et petet, ut in senatu imperii Romani, Christiani imperii, ara Victoriae, deae paganae, restituatur. Si hoc permiseris, si Deus viderit te, imperatorem Christianum, cultibus paganis tantam licentiam indulgere - et scis Deum omnia videre -, quid tunc futurum esse putas?

V. Non iterum mihi victoriam dabit?

A. Hoc et ego credo. Cave, Caesar!

- B. O Ambrosi, episcope reverendissime, disertissime, callidissime et parvorum puerorum in sententiam tuam pertrahendorum peritissime, noli oblivisci et mihi deos satis fortes esse, quibus ante pugnas semper immolare soleo. Non ergo credo totum imperium periclitari, si una illa ara in senatu ponetur. Et si hoc fortasse deo vestro displicebit - nonne vos Christiani tres deos habetis, patrem et filium et spiritum aliquem per aera volentem? Si ergo unus vos deseruerit, restabunt ceteri duo.
- A. Bauto, scio te admirabili ingenio militari praeditum esse, sed hac in re malo imperatorem meum consilium sequi quam tuum.
- I. Vide, quomodo mentes fabulis vestris de Trinitate perturbentur! Non miror, quod pagani credunt Christianos tres deos colere. Neque omnino falluntur, nam vos Catholici vere quodammodo tres deos colitis. Si omnes Christiani profiterentur id, quod verum est - Deum esse unum, filium autem eius esse filium, non Deum ipsum - , Bauto numquam talia diceret.
- B. Si scivissem talem disputationem verba mea secuturam esse, potius tacuissem.
- A. Est una substantia in tribus personis, domina.
- I. Una substantia in tribus personis! Sciebam te hoc responsurum esse. Sed quomodo tres personae eiusdem substantiae esse possunt? Hoc ridiculum est.
- A. Ipse interfui concilio Constantinopolitano, in quo... sed mittamus haec. Mox Symmachus veniet; quid, si Christianos ita inter se rixantes videbit?

Intrat N.

- N. Domine, Quintus Aurelius Symmachus, praefectus urbi Romae, et Augustinus quidam Carthaginensis orant, ut eis aures praebere digneris.
- I. Dic aliquid!
- V. Intrent.

Intrant S. et Au. Exit N. Aufugit B.

- S. Salve, Caesar Auguste, imperator maxime, et tu, reverenda mater Augusta! Etiam te, Ambrosi olim amice, salvare iubeo, licet nunc ex amicis adversarii facti simus. Duae, Caesar Auguste, causae me huc adduxerunt. Prior causa est hic adulescens, Augustinus rhetor, qui certe optimus magister novae scholae rhetoricae erit, quam hic in urbe Mediolano conditurus es.
- I. Talia nunc! Nonne multo graviores res nobis agenda sunt?
- V. (susurrans) Schola? Mater, quae schola?

- I. (susurrans) Schola Valentiniana, quam me suadente condere decrevisti, ut aula imperatoria semper bonos oratores et iuris consultos haberet! Num oblitus es?
- S. Augustinus, licet adulescens sit, singulari ingenio praeditus est. Complures annos Carthagine artem rhetoricam docuit, deinde Romae. Puto eum totum Ciceronem memoria tenere. Nec ulla vestigia pronuntiatu Africanu in sermone eius audies. Romae, non in Africa natus videtur. Fateor autem - quod tibi, Ambrosi, non multum placebit - eum esse Manichaeum.
- Au. De doctrina Manichaea, episcopo venerande, iam diu et vehementer dubito.
- A. Non vere Romae natus videtur.
- Au. Alium cursum nunc quaero, quo vitam dirigam. Multum incubui philosophiae Platoniorum, imprimis Porphyrio.
- A. Porphyrio? Quis est Porphyrius?
- Au. Philosophus quidam Graecus, qui tempore Gallieni imperatoris vixit et discipulus Plotini erat.
- A. Graece ergo scis?
- Au. Ut verum fatear, non satis, ut libros Graecos legam; sed Porphyrii opera et Latine edita sunt. Neque tamen eius doctrina mihi ad vitam beatam vere sufficere videtur. Quid nos de beatitudine doceat scriptor, qui ipse tam infelix erat, ut sua manu sibi mortem consciscere in animo haberet?
- A. O istos philosophos paganos!
- Au. Fortasse tu, Ambrosi, mihi aliquando pauca de fide Christiana dicere poteris? Nam etiam Romae multa de te audivi: te sermonibus tuis semper magnas turbas auditorum - etiam paganorum - in ecclesiam allicere, verba tua doctissima et elegantissima esse...
- A. Antequam me audies, prius Sacram Scripturam legas, per quam Deus ipse ad te loquitur.
- Au. Sacram Scripturam semel inspexi, sed tam horribili sermone Latino scripta est, ut vix intellegatur. Quomodo homo scriptoribus optimis, Cicerone et Vergilio, eruditus doctrinam Christianam percipiat, si ei tali modo praebetur?
- A. Primum tibi respondeo verbo satis eleganti et satis Ciceroniano, licet ex Sacra Scriptura sumptum sit: Deus resistit superbis, humilibus autem gratiam dat. Deinde tibi dico totam Sacram Scripturam nunc ab amico meo Hieronymo in sermonem Latinum vere bonum versam esse. Si eam versionem leges, ne tibi quidem horribilis videbitur.
- Au. Gratias tibi ago pro eo consilio - et pro admonitione.

S. (ad V.):) Quid ergo censes de munere ei in schola tua dando? Vidisti eum doctissimum esse.

I. Dic aliquid!

V. Intret... scholam.

S. Maximas gratias tibi ago, Caesar Auguste! Certe te non paenitebit. Nunc autem te suppliciter rogo, ut mihi de altera causa, quae me huc venire coegit, loquenti aurem benignam praebere digneris. Certe scis, o Valentiniane imperator clarissime, victor ac triumphator, semper auguste, divum Gratianum fratrem tuum aram Victoriae in senatu positam sustulisse, cum iam multa saecula ibi stetisset. Memento, imperator clarissime, deam illam imperio Romano multum profuisse, multum prodesse, multum profuturam esse.

V. (susurrans) Estne chiasmus? An climax? An fortasse anticlimax?

A. (susurrans) Est polyptoton cum anaphora. Sed tace!

S. Quid esset patria nostra sine auxilio et favore Victoriae? Periculosum est talem et tantam deam offendere. Quid, si Roma ipsa nunc adsit et nos alloquatur? Quid nobis dicat? Certe haec vel similia verba: Optimi principes, patres patriae...

Apparet Roma.

R. Cives mea terra geniti, reveremini senectutem meam, in quam me pius ritus maiorum vestrorum perduxit. Hic cultus totum orbem terrarum legibus meis subiecit; hic cultus Hannibalem a moenibus, Senones a Capitolio reppulit. Vivam meo more, quia libera sum. Suus cuique mos, suus cuique ritus est. Mens divina variis populis varios deos custodes distribuit. Arcana caelestia nemo umquam perspiciet. Unde ergo iudicemus, qui dei nobis colendi sint? Non nisi ex memoria beneficiorum, quae maioribus nostris tribuerunt. Quid interest, qua via quisque veritatem requirat? Uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum. Eadem spectamus astra, commune caelum est, idem mundus nos involvit. Itaque diis patriis, diis Romanis pax concedatur.

Evanescit Roma.

S. Audivistis verba patriae ipsius. Quis nunc adhuc audeat ei ritus a maioribus antiquitus traditos denegare? Ut dixi, periculosa est offensio numinum arcanorum. Anno praeterito frater tuus, celeberrimus imperator Gratianus, aram Victoriae in senatu manere vetuit. Eodem anno fames tanta secuta est, quanta antea numquam fuerat. In omnibus provinciis agri vix ullas fruges tulerunt. Neque Gratiano ipsi, si hoc dicere licet, dea Victoria post aram sublatam propitia fuit...

- V. Haec est calumnia! Non fuit poena divina, quod frater meus mortuus est! Bonus imperator erat! Usurpator eum interfecit, non dea!
- A. Tranquillo animo sis, Caesar Auguste. Imprimis autem noli oratione ista commoveri, ut credas deam paganam ullis ritibus colendam esse. Si hoc permiseris, quid frater tuus de hac re censebit? Eum nunc adesse puta, et haec vel similia verba tibi dicere...

Apparet umbra Gratiani.

- V. Gratiane, Gratiane!
- A. Noli eum tangere! Umbra est.
- G. Noli timere, Valentinianule! Vulnus hoc non iam dolet. Satis bene me habeo. Nunc de te agitur.
- V. Quid me facere vis, Gratiane?
- G. Si meam sententiam audire vis, suadeo tibi, ut consilium Ambrosii sequaris, ut semper.
- V. Sed Roma modo dixit...
- G. Noli anum istam vetulam audire! Nugas garrit, ut mos anilis est. Cum aram Victoriae sustuli, sciebam, qua de causa hoc facerem. Tu autem, fratercule, totam illam rem certe nondum satis perspicis. Noli ergo decretum meum temere mutare.
- V. Semper putas me nihil intellegere.
- G. Paulo maior natu sum quam tu, parvule.
- V. Sed non tam multo maior.
- G. Certe, non multo, solum duodecim annis. Nunc autem abire debeo. Memento decreta mea servanda esse!
- V. Gratiane, Gratiane! Noli abire! Mane mecum!
- A. Noli eum tangere! Tranquillus sis, noli dolere. Ad Deum redibit.
- V. Sed volo eum hic manere.

Evanescit umbra Gratiani. V. lacrimat. Deinde rogat:

- V. Dic mihi, Ambrosi: qua de causa frater meus mortuus est, nisi poena divina fuit?
- A. Immo fuit gratia divina. Frater tuus imperator vere Christianus erat, quare Deus ei beneficium mortis celeris dedit. Nunc ab omnibus curis et periculis vitae tutus aeterna beatitudine fruitur, Deum ipsum semper contemplatur et conspectu eius inebriatur.

V. Ita inebriatur, ut et in vita inebriari amabat?

A. Ita, sed nunc Deo, non vino.

V. Et hoc beneficium Deus ei dedit, quia tam bonus Christianus erat?

A. Rem acu tetigisti. Nunc ergo necesse est, ut et tu te bonum Christianum et tali fratre dignum praestes.

V. Sed nolo iam nunc mori.

A. Hem, fortasse verba mea non satis intellexisti...

V. Omnia intellexi. Si ut Gratianus aram in senatu esse vetuero, moriar ut Gratianus. Celeri, scribe haec: Ego Valentinianus, imperator Caesar Augustus, in curia senatus Romani aram Victoriae restitui et quoque mense sacrificiis honorari iubeo, quorum sumptus ex aerario publico praebentur. In nomine Dei faustum felix fortunatumque sit.

A. iratus mitram in terram deicit et pedibus calcat. I. de throno desilit et Ambrosium verberat. V. inter eos sedens se a verberibus protegere conatur.

S. Maximas gratias tibi ago, Ambrosi, quod me tam optime adiuuisti. Romae senatoribus narrabo me tuae intercessionis gratia restitutionem arae impetravisse. Certe omnes gratissimi erunt.

Au. Incredible! Re vera in animo habebam aliquando Christianus fieri. Sed cum haec videam, certissimum mihi est me Manichaeum mansurum esse.

S. Hoc et ego tibi suadeo.

Intrat N.

N. Domine Caesar Auguste, spectatores, adest - finis.